Dūrācīnā perfice, dūcīnā Āginetæ: Quorum corpus ligno adhæret, avelli nequit. {GALL. Qui ont l'escorce ou la peau dure. ITAL. Perfici che non si spiccono da l'osso. GERM. Pfersich die noch hart anstehen. HISP. Duraznos. ANGL. That hath an harde hullor hard skinne.} Plin. lib. 15. cap. 21. Sed perfectorum palma duracinis. Idem lib. 15. cap. 28. Quædam statim à ligno recedunt, ut nucæ, & palmæ: quædam adhærent, ut olivæ, laurique: quorundam generi utraque est natura, ut perficis. Etenim duracinis adhæret corpus, è lignoque avelli nequit, quem in cæteris facile separetur.

Dūrācīnæ uva dicuntur, quæ duram & firmam corticem habent, à duricie, vel à duris acinis. Plin. lib. 14. cap. 1. Uva non alibi gravior callo, ut inde possit invenire nomen duracini, durus acinus. Suet. in Epist. Aug. Dum lectica ex regia redeo, panis unciam cum paucis acinis uva duracini comedì.

Dūrīcōrīa dicuntur, quæ sunt duri corii. {σκληρός. GALL. Qui ont le cuir dur. ITAL. Che hanno il cuoio duro. GERM. Die ein harte oder zähle hau haben. HISP. Cosa que tiene el cuero duro. ANGL. That hath an hard hide.} Unde Ficus duricoriæ, quæ habent durum corticem: meminit Plin. lib. 35. cap. 28.

Dūrō, as: Durum facio, fitmo, solidi. {תְּשַׁקֵּחַ hikschâh, pîn chiz-zék. ὄντηγοιο. GALL. Durcir, endurecir. ITA. Far duro, fermo. GERM. Hart machen. HISP. Endurecer à alguna cosa. ANGL. To mak harde.} Col. lib. 7. Annicula mula recte à matre repellitur, & amota montibus, aut feris locis pascitur, ut ungulas duret, sitque postea longis itineribus habilis. Cæs. 6. bell. GALL. Hoc se labore durant adolescentes. Mart. lib. 13.

Sorba sumus molles nimium durantia ventres.

Liv. 1. bell. Pun. Nec erat difficile opus, quod cæmenta non calce durata erant. ¶ Quint. lib. 1. per translationem posuit pro confirmatione. Multa (inquit) linguae vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur. ¶ Aliquando significat tolerare, οὐετέα. Virg. 1. Aeneid.

— durate, & vosmet rebus servate secundis.

In qua significazione quandoque contra naturam jungitur accusatus, maximè apud poëtas. Horat. lib. 1. Carm. Od. 14.

Vix durare carina

Possunt imperiosius & quor.

¶ Item persistere, perseverare, diu permanere, παρατήσθαι. Aeg. Plaut. in Amph. Durare nequeo in ædibus, ita me probri, stupri, decoris à viro argatam meo. Terent. in Adelph. Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic sit, potest. Hujus composita sunt, Enduro, Induro, Obduro, Præduro, Perduro, Reduro, quæ vide suis locis. Duratrix, icis, verbale fœm. gen. Plin. lib. 14. cap. 1. Additque acinis eadem, quam in doliis amphoris duratricem illam firmitatem austerioris picis infusa pediculo.

Dūrō, es, ui: Durus sum. {תְּשַׁקֵּחַ kaschâh. ὄντηγοιο. GALL. S'endureir, devenir dur. ITAL. Indurire, indurare. GERM. Hart sein. HISP. Endurecerse. ANGL. To be harde or to waxe hard.} à quo Duresco, durus fio. Cic. 2. de nat. deor. Itaque & Aquilonibus, reliquisque frigoribus adjectis durescit humor. Ovid. 2. Metam.

Oraque duruerant, signumque exsangue sedebat.

Col. lib. 9. Plumulæ sub cauda clunibus detrahendæ, ne stercore coquinatæ durescant. Quintilian. Necessæ est deteratur fulgor, & durescat articulus. ¶ Composita à Dureo raro sunt in usu, quemadmodum & ipsum simplex, sed eorum loco utimur compositis à Duresco: ut Indureo vix dicimus, frequentissime autem Induresco, Obduresco, undique durus fio, ὄντηγοιο: Perduresco, valde durus fio: quæ vide suis in locis.

Dusare, δυσαρήν, Scopulus & vertex altissimus Arabiae, sic dictus à Dusaro deo, qui apud Arabes & Dacharenos colitur. Gentile, Dusarevi. Steph.

¶ Dusus. Dusii dæmones. August. lib. 13. de Civit. Dei, cap. 23. Incubierant, & impudicitiam cum mulieribus peragebant. ¶

Dūūmīr, duumviri, eadem forma dictus est qua Triumvir, quod scilicet duo tantum in eo officio essent. {ANGL. Officers in Rome which had equal authoritie over prisons, as the sheriffs in England.} Etant autem in coloniis & manicipiis summi magistratus, sicut Romæ Consules: de quorum officio & potestate, consule Lexicon Hotom. Ulp. I. si quis uxori, §. si fugitivum, ff. de furt. Si fugitivum meum quis quasi suum, à Duumviro, vel aliis qui potestatem habent de carcere, vel de custodia dimittendi, accepit, an is furti renator. Cicer. in Orat. Planèque Duumvitorum judicium, aut Triumvitorum capitalium, aut Decemvitorum litibus judicandis dico nunquam. ¶ Dumviri item creabantur usitata lege, qui de perduellione judicarent, de quibus Livius lib. 1. Duumviri, inquit, perduellionem judicent: si à duumviris provocari, provocatione certato, &c.

¶ Duumviri navales. Liv. 9. ab Vrbe, Alterum, ut Duumviro navales classis ordinandæ reficiendæque causa idem populus juberet. Dūūmīrātūs, us: Dignitas duumvirorum. {ANGL. A sheriff shipte of equal authoritie.} Plin. lib. 4. epist. ad Sempronium: Hunc Agonem Trebonius in Duumviro suo tollendum curavit. Paulus 1. honores, ff. de decur. Is qui non sit decurio, duumviro, vel aliis honoribus civilibus fungi non potest. Dūūmīrālis, e, quod ad duumviratus munus pertinet. {ANGL. Belonging to a sheriff shipte of equal authoritie.} ut, Dignitas duumvira-

lis, Judicium duumvirale. ¶ Quando vero de homine dicitur, eum significat qui aliquando duumviratum gessit: sicut Consularem vocamus, qui Consulatu perfunctus est; & Triumphalem, qui triumphum peregit. Ulpian. L. 1. de albo scrib. Qui duumviratum gesserunt (si hic honor præcellat) & inter duumvitales antiquissimus quisque prior.

Dux, vide *Duco*.

DY

Dyas, δύς, numerus est binarius: sicuti decas, numerus est denarius. Dymas. Virg. 2. Aeneid.

— & maximus armis

Iphitus, oblati per Lunam, Hypanisque Dymásque.

Δύμποιτ, ή τη γλώσσα τάχασα. Dymbius, vide Thymbria.

Dyme, δύμη, urbs Achæa ultima ad Occasum, quam Antimachus Cauconidem, à Caucone fluvio cognominat. Steph.

¶ Dynāmēnē, es, δρυψίνη, Nympha marina, Nerei & Doridis filia, ita dicta ab eo, quod in mari plurimum pollet. Hesiod. in Theog.

Δυρά π., Περιτά π., Φερού π., Διωρίπιν π..

Dynamis. Plaut. Pseud. sc. 2. a. 1. Dynamis habent domi maximam.

Dynastēs, α, δυνάσης, qui in magistratu est, aut qui in civitate plurimum pollet. {ANGL. A great lord, or noble man of great power.} Ita dictus à verbo Graeco, δυνάσης, quod Posse significat, sive potentem esse. Sribit Strabo, reges Dynastas vocati propterea quod plurimum possint, polleantque, & populos quò velint, aut vi, aut persuasione perducant. Cic. ad Atticum, Erit nebulo cum istis dynastis in gratia. Idem 11. Philipp. Idem si cæteri reges, tetrarchæ, dynastæque fecissent. Velleius, Dynastæ & Tetrarchæ. ¶ Horum dignitas, Dynastia, δυναστία, vocatur.

Dynastiam esse vocem Aegyptiam, facile persuademur ex istis verbis Gregorii Turonens. cap. 17. lib. 1. hist. Apud Aegyptios autem sexta decima erat, quam sua lingua Dynastiam vocabant. Dyndasum, δυνδασού, urbs Cariæ. Steph.

Dyōta, x, sive Diota, δύότης, ή δύοτη. Utroque enim modo scriptum invenimus: dolii fictilis genus, vino conservando idoneum: à duabus auribus, hoc est ansis, ita appellatum. Vide supra Diota.

Dyrbæi, δυρβαῖοι. Populi ad Bactros & Indiam pertinentes. Vide plura apud Steph.

Dyrrhachium, δύρραχος, vulgo Durazzo. Urbs est in ea parte Macedoniae, quæ mari Adriatico incumbit, distans à Brundusio cxx. m. pass. trajectu. Dictum autem volunt Dyrrhachium à nomine ejus, qui utbi portum adjecit: nam antea Epidamus vocabatur, teste Plinio lib. 3. cap. 23. Hanc urbem Cicero exilio sui tempore amicissimam expertus est, & officiosissimam, in qua commoratus est, donec Senatus consulto revocaretur. Vide plura apud Steph, cui alia hujus nominis Laconiaæ urbs est, una ex centum: & Ilyriæ regio, Dysrachia, cuius incolæ Dysrachii & Dysracheni.

¶ Dyscelius, δυσκελία, qui male affecta alvo est, alvo adstrictior.

Dyscolus. {תְּשַׁקֵּחַ kaschâh. δύσκολη. GALL. Difficile, fascheux. ITAL. Difficile, fastidioso. GERM. Ungehoblichkeit, unholdslig. HISP. Dificil, el que haze, è da hastio. ANGL. Painfull, troublous.} Difficilis & morosus: quod vitii genus à Græcis δυσκολία appellatur.

DYSENTERIA, δυσεντερία. GALL. Trenchée de ventre avec flux de sang par exulceration des boyaux. ITAL. Dolore di ventre con fluxo di sangue. GERM. Die roht nur/ oder der roht schaden. HISP. Camara de sangre. ANGL. The bloodie flize with gnawing of the bowels. ¶ Intestinotum exulceratio cum inflammatione & excretione sanguinolenta, ventrem magnis doloribus tortinibusque exercens. Quidam intestinorum difficultatem, Celsus tortina interpretatur, Cic. Gallo lib. 7. Epist. Sanè δυσεντερίου pertinuerat. Plinius lib. 22. c. 15. Ad dysenteriam bibitur cum absinthio. Hinc dysentericus, δυσεντερίος, dicitur qui hoc morbo laborat. Plin. lib. 20. cap. 2. Auxiliatur dysentericus semen cucumeris.

¶ Dysentericus, a, um, ad dysenteriam spectans.

Dyspēpsia, δυσπεψία. GALL. Difficile digestion, indigestion. ITAL. Crudità di stomaco, indigestione. GERM. Böse theitigung. HISP. El abito de lo no digerido, indigestion. ANGL. Ill digestion, raweness of stomach. ¶ Difficilis & ægra concoctio: à δύσ particula, quæ difficultatem, vel depravationem importat, & μίλιος coctio. Galenus lib. de sympt. different. tria ponit læsæ coctionis genera, ἀτηψία, βραδυψία, & δυσψία, inter quæ hanc ponit differentiam, ut apespsia dicatur, quum cibus non mutatur, sed talis omnino permanet, qualis est ingestus. Et hanc Latini propriæ cruditatem appellant, Bradyepsia autem, quum cibus quidem immutatur, sed ægrius, severius, & imperfectius: nos imbecillam, vel tardam coctionem dicere possumus. Dyspepsia vero dicitur, quum cibus mutatur in alienam qualitatem naturæ nostræ non convenientem. Hanc medici nostri coctionem depravatam dicere solent. Hanc tamen differentiam ne ipsi quidem medici observant: ut qui uno dyspepsia nomine sèpenumero omnia coctionis vitia intelligent.

Dysphilus, δύσφορος. Amicus parum syncerus. {ANGL. An freind not upright.} Juvenal. Satyr. 3.

Non est Romano cuiquam locus hic ubi regnat
Protogenes aliquis vel dysphilus.

Castigatoriæ exemplaria habent Dypheus, & ita omnino legendum. Videtur enim Juvenalis ibi notare Græcum quempiam nomine Dypheus.

Dyspnœa, δύσπνοια. GALL. Difficulté d'haleine. ITAL. Difficultà di spirare. GERM. Eingbrüstigkeit/ schreide des athems. HISP. El acezo.

ANGL. Difficultie of breathing purseyesse. ¶ Spirandi difficultas, quod vitii genus senibus solet esse familiare, teste Hippocrate: unde & Virg. senes anhelos vocat. Tres autem à medicis enumerantur morbi in difficultate spirandi consistentes. Nam quum ea modica est, δύσπνοια: quum vehementer, ἀσπνη vocatur. Quum vero evenit ut nisi erecta cervice spiritus trahi non possit, orthopnæa appellatur.

Dyspnœicus, δύσπνοιος. GALL. Qui ne peut avoir son haleine à son aise. ITAL. Chi spirà con difficoltà. GERM. Der da schroärlich ethmet.

HISP. El que acezo. ANGL. That breatheth painfullie, pursey. ¶ Qui dyspnœa laborat. Plin. lib. 24. cap. 6. Ammoniacum prodicit dyspnœicis, pleureticis, &c.

Dyspō

Dyspontium, δυσπόντιον, urbs Pisææ, à Dyspontio Pelopis filio. Steph. Dysponti, { δύσποντιον. GALL. Difficulté de pisser. ITAL. Difficultà di pissenare. GERM. Harnstreng/harte zu harnen. HISP. Dificultad de mear. ANGL. Difficultie in pissing. } à dūs, & ūḡ, urina, lotum. Difficultas & suppressio urinæ, calculo, vel materia quapiam crassa, aut caruncula meatum obstruente. Hoc vitium Cato significat, quum ait: Quibus ægrè lotum it. Cicero Gallo lib. 7. Epicurum tuum Stoici male accipiunt, quia dicat δύσποντιον καὶ δύσμετρον μήδη sibi molesta esse: quorum alterum morbum edacitatis esse putant, alterum etiam turpioris intemperantiae. Stranguria autem, morbus est à dysuria diversus, quem nonnulli urinæ stolidum appellant, quum scilicet tanta est vel urinæ acrimonia, vel vesicæ imbecillitas, ut quicquid in eam illabitur, statim excernatur.

¶ Dysuricus, a,um: Dysuriâ laborans. ||

NOTÆ ANTIQUORUM.

D. Decius, Divus, Devotus, Dicavit, Die.

D. A. Divus Augustus. DA. dona. D. Æ. de ærario. D.A.M.S. AV. de avibus malè senserunt augures. D.AUG. Deo Augusto. Divo Augusto. D.C.D. C.D. E. diebus Cæsar's dictatoris causa dicta est. D. B. DD. de bonis dixerunt, vel dederunt. D.B.S.F. de bonis suis fecit. D.B.N. de bonis nostris, de benè notatis. D.B. MR. de benè merentibus. D.B.C. de benè consulentibus, vel de bono communi. D.B.J. Diis benè juvantibus, de bono judicio.

D.B.IN. de bonis incertis. D.B. Decius Brutus. D.C.N.N.B.D. de Cæsare nemo non bene dicat.

D.C.CÆS. Divus Caius Cæsar. D.C.A. Divus Cæsar Augustus. D.C.S. de consulum sententia, vel de consulis, consilii sententia. DCT. detractum. D. S. D. de suo deferebatur. D. M. dedimus mercedem. D. D. das dedicaverunt. D.D.D. A. A. A. dedicaverunt dederunt dono auro, argento, ærc. DD. M.V. dies mali venerunt.

D.D. Deo dicavit. D.D.N.M.P. dare de nutu mihi parat. D.B.V. de bonis virginis. D.D. Dotis datio, Diis dantibus, dono dedit, dedicavit. Damnum dedit. Dies dedit.

DD. E.H. L.I.O. LIB. DN. MAR. PU. ET. LI. P. dedicatus est hic locus loui liberatori, dcinde Marti pugnatori, & Libero patri. D.DQ. O. H.L.S.E.V. Diis, deabusque omnibus hunc locum sacrum esse voluerunt. D. Decus, D. D. donum dedit, dotis datio, Deus dedit. D.D.D. datus decreto Decurionum. Dono dedit, dicavit. D.D.D. dono dederunt. D.D.D. dignum Deo donum dicavit. D.D.L.M. dono dedit libero munere. DD. NN. domini nostri. D.DQ. dedit, dñe. D.Q.S. Diis Deabusque factum. D. M. S. Diis Manibus

sacrum, dormitnt mortui securi. D.F. dotem fecit.

D.F. Decii filius.

D.G. dedit gratis.

DICT. dicator. DIG. M. dignus memoria. DIEB. diebus. DIL. dilectus. D.I.L.IV.A. de isto lapide invenies aurum. D.I.N.M.S. Diis inferis male sacrum. DD. IMM. S. Diis immortalibus sacrum. D.IPS. de ipsis. D.V.BB. dilutum vinum bibeant. D.L.D.P. Diis locum dedit publicè.

D.L. donavit locum, dono legavit, dedit legem. DL.delego. D. L. de loco. D.C.D.P. dies cum dedit publicè. D.L.S. Diis latibus sacrum. D.M. Diis Manibus, domus mortis, Divus maximus, Diis maximis, dolum malum, donavit monumentum.

D.M. Æ. Deo magno æterno. D.M.B.M.F. Diis Manibus benè merentibus fecit. D.M.F.V.C. dolo malo, fraudisve causâ. D.M.L. de malè loquentibus. D.M.M. Diis Manibus Mæviorum. D.N.G. diutius non gaudebis. D.M.S.C.S. RP.T. DEINV. CR. dies malus sequitur cras, si ruperis tonitrua deinvenies carbones. D.M.S.C.P. dies malus sequitur, cras peius.

D.N. dominus noster. DN. dominus. D.N. MQ. devotus numini, majestatique. D.N.P.F.S. de numerata pecunia facies sacrum. DNN. domini.

D.O. Deo optimo. Diis omnibus. DOMS. COS. XIII. LUD. SÆC. F.C. Dominus Consul XIII. ludos saeculares faciendo curavit. DO. TRA. vel TRIN. Divo Trajano. DO. VAL. Divo Valeriano. DOT. dotem. DOT. R. dotem recuperavit. D.P. Divus Pius, Diis penatibus, dotis promissio, dotem petit, devota persona. D.PEC. R. de pecuniis repetundis. D.P.F. denunciandi potestatem fecit. D.PP. Deo perpetuo. DPO. depositio. D.PF. de Præfecto. D.P. ORT. de parte Orientis. D.PS. de principibus. D.PF. de Præfecto. D.P. OCC. de parte Occidentali. DPS. discipulus. D.P.S.D.L.D.P. Deo posuit sibi. Diis locum dedit publicè. D.Q. Diis Quirinalibus, vel Diisque. D.Q.R. de qua re. D.Q.S. de quo supra: vel die quo supra.

DR. Dius. DR. P. dare promittit. D.R.S. de regibus. D.RM. de Romanis. D.R.P. de Republica. D.T.S.P. Diem tertium, sive perendie. DS. Deus. Diis. D.S.P.O. de sua pecunia obiit. D.S.P.S.P. de sapientia sua perfecit. D.SUP.P. de supina pila. D.S. dato solo. D.S.P. de sapientibus. DT. dumtaxat, durat. D.TB. de Tribubus. D.TRIB. TL.S. de tribunal tulit sententiam. D.T.G.Q.S. de tuo genio quod sentis. D.T.S.P. diem tertium, sive perendinum.

D.V. Devotus vir, Diis volentibus, devotus Vestæ. Dies quintus. DUC. DUC. ducum ductor, ductorum ductor. DUL. vel DOL. vel DULC. dulcissimus. D.VIII. diebus novem. DV I.S. Devotus istorum servator. DV. vel DUS. devotus. DUL. dulcis. DULMS. dulcissimus. D.V.M. T. dolo vel malo tuo. D.VS. Dea virginis, de virtutibus, de verbis.

E



S U A P T E natura non ita resonat, sicut A, O: neque tam promptè os diducit, iætùque magis languido circa arteriam prodit, iætum superiore aliquo modo deprimit, sonum tamen & auget & minuit ea ratione quâ & A, ubi satis abundè dictum est. In fine dictio- nis corripitur, præter quando in Græcis vocibus scribitur per η, ut in Penelope. Ablativi etiam quin- ta declinationis producuntur, ut die, re. Imperativi singulares secundæ conjugationis, doce. Mo-

syllaba: ut, me, te, præter que conjunctionem: & ut ne, quum si- gnificat an. Adverbia in e, ab adjectivis us, a, um: ut docte. ¶ E, ex i, saxe immutari docet Gell. cap. 24. lib. 10. Item E, pro u, vel o, ut Occucurri, pro occucurri; & memordi, pro momordi, apud eundem cap. 9. lib. 7. Beter & bitet. Plaut. in Cura. sc. 2. a. 1. Vide Beter. Item, Excedat, pro Excidat. Idem ibidem sc. 1. a. 1. Vide Excido. Ita Difficere, pro dissecare, de quibus vide suis locis. || ¶ In quibusdam scribuntur promiscue: ut eis iis, deis diis: sic e & o, ver- tex, vortex. ¶ Veteres etiam aliquando e pro æ scribabant: ut etas pro ætas. Vide Scalig. initio conject. in lib. 5. Varr. ||

E, & Ex. { τὸ min. εἰς, εἰς. GALL. De. ITAL. Di. GERM. Non/ oder aus. HISP. De. ANGL. Of. } Präpositiones sunt quæ & separantur, & componuntur. Separatæ, modò temporales sunt: ut, Ex illo celebratus honos, hoc est, post illud tempus. Modò locales: ut, E cælo. Modò ponuntur pro à, vel ab : ut, Audivi è patre meo. ¶ Modò si- gnificant pro, vel ad (ἐντὸς cum genitivo,) ut, Ex dignitate, ex usu, ex utilitate, hoc est, pro dignitate, vel ad dignitatem. E re, id est, ad utilitatem, συμφίγγει: ut, E Republ. id est, commodo Recipub. ¶ Modò secundum, εἰς: ut, Ex Platonis sententia, id est, secundum Platoni sententiam. ¶ Modò in. Cic. E renibus laborabat, id est, mor- bum patiebatur in renibus. Augustin. in Breviario, Qua ex de pecu- nia (geminata præpositione.) Plaut. Men. sc. 2. a. 4. E re tua feceris. Catull. de com. Beren. Plaut. Capt. sc. 4. a. 3. Utinam te Dii prius per- derent, quām peristi è patria. Item, Hinc è proximo amat meretri- cem. Idem Men. sc. 2. a. 5. & Asin. sc. 1. a. 1. Item in Aulul. sc. 5. a. 3. E meo quidem animo. Suet. in Aug. cap. 84. E libello sermones ha- bere. Vellejus, Ex ebore apparatus triomphi Africani. ¶ Compositæ quandoque privationem indicaunt, ut Elinuis, Exsanguis. Quando-

que vehementiam, vel perfectionem, ut Eludo, Exoro. Quandoque extra, ut Educo, Excludo. ¶ Componitur autem E, cum b, ut ebi- bo: d, ut educo: g, ut egredior: i, ut ejicio: m, ut emitto: n, ut eni- tor: r, ut erigo: u, ut eveho. ¶ Ex verò eum à, ut exaudio: c, ut ex- curro: e, ut exeo: f, ut efficio: o, ut exoleo: p, ut expello: q, ut ex- quiro: s, ut exsequor: t, ut extendo: u, ut exuro. Verùm quando post ex, sequitur f, mutatur x in f, ut effundo. Quum verò sequitur f, abicitur s, ut exequor, & exicco: in aliis integra manet. Sed ta- men Doctiores eandem s, retinueri, scribuntque Exsequor, Exsicco, Exsolvo. ¶ Econtrario. { ἀνταντά, ἀνταντί, εἰς ἀντίνα. GALL. Au- contrarie. ITAL. All' incontro. GERM. Im gegenheil/ herviderumb. HISP. El contrario. ANGL. On the contrary. } Adverbium, significat è diverso, contraria. Cic. 3. de fin. Econtrariò moderati habitus. Suct. in Aug. cap. 27. E diverso, Quint. è contrario.

|| E, me, diis jutantes præponabant: ut, ecastor, me castor. ||

EA

Ea, eadem, propria, &c. Plant. Capt. sc. 3. a. 2. Tu te tibi ea tuope ingenio prodes plurimum. Ibidem (i. ea re, ea de caussa.) Idem Mil. sc. 3. a. 2. Vise intrò, hic te operiar, eadem (sub. via, vel ratione,) illi insidias dabo. Sic idem in Pf. sc. 3. a. 1. Eadem duo greges adegero. Et Menach. sc. 4. a. 2. Eadem ignorabitur (sub. opera & via.) Idem Capt. sc. 3. a. 2. Inviso captivos: Eadē percontabor ecquis eū noverit. Eabus, eis, fœmin. Cato. ||

Eale, fera est in Æthiopia nascens, magnitudine equi fluvialis, cauda elephanti, colore nigra, vel fulva, maxillas habens apri, & majora cubitalibus cornua, mobilia, quæ alterna in pugna sistit, variatque infesta, aut obliqua, utcunque ratio monstrabit. Haec Plin. lib. 8. c. 21.

¶ Eamps, eam ipsam. Palen. ||

Éantès, nomen proprium historici Cyziceni, qui fuit eadem ætate, qua

Pygmalion in Oriente regnabat.

Éanüs, à veteribus dictus est, qui postea Janus, qui in eundi anno cre- debatur præsidere. Sæpe enim antiqui secundam vocalem pro tertia usurpavent: quod & ipsum testatur Quint. lib. 5. cap. 6. Quid: non e quoque, i loco fuit: ut Menerva, & Leber, & Magester, &c.

Eapse, Ea ipsa. Plaut. Cura. sc. 3. a. 1. Eapse merx condidit bibere. Ibid. sc. 3. a. 4. Eapse illa iracundia. Et Milit. sc. 1. a. 2. Quod nemo nisi eapsa infret pedem. || Sic eapsa, est re ipsa.

Ear, ver. Tertull. ||

Éarñus, iæḡs. Adolescentis formosi nomen apud Martiale, à Vere dictum, quod Græci iæḡ appellant.

Easo, nis: Promontorium Pyrenæi montis. Item oppidum Vasconum. Urbiusque author Ptolem. lib. 2. cap. 6.

EBENUS, ea scilicet parte tenus : cui respondent Quatenus, Usquequod, Quoad, Ut, Quā, Nequid. { יְהָדָה. יְהָדָה. מִתְרַי. GALL. Inques là, entant. ITAL. Fin à tanto. GERM. Nur also fern/ also weit/ vmb soul. HISP. Hasta aquello, à quel modo. ANGL. So fare. } Caius de insitioria actione, Eatenus dabitur in eum actio, quatenus ex ea re locupletior factus est. Cicer. 1. de Legibus. Sed hoc civile, quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populo præstare voluerunt. Idem de opt. gen. orat. Verba periequens eatenus, ut ea non abhorreat à more nostro. Colum. lib. 12. cap. 9. Caules lactuæ ab imo depurgatos, eatenus quā tenera folia videbuntur. Sucton. in Tiber. Ac primò eatenus interveniebant, ne quid perperam fieret. Eatenus abeunt à fabris: mox, Ad id usque.

EB

Ebacchari, valde bacchari. Lamptidius in Heliogabalo: Martius deinde sacra accepit, & adeò ebacchatus est, ut typum eriperet.

EBENUS, vel Ebenum, { אֶבֶן חֲבֵנִים. סְבִּנָּה. Suidæ. GALL.

Ebene, un certain arbre qui croît ès Indes. ITAL. Ebano. GERM. Ein baum in India der schroditz holtz hatt. HISP. Ebano, arbol peregrino a nosotros. ANGL. A tree which grooth in Inde named Ebene. } Lignum est intus nigrum, foris huxi aspectu, adeò solidum & ponderosum, ut in aqua non superficit. Creditur tamen tenuis esse (ut Aëtius tradit) substantia, & abstergentis virtutis. Unde oculorum caliginem discutere creditur, & aliis oculorum medicamentis miscetur. Hæc arbor nascitur in India, & cæsa durescit in lapidem, uriturque odore jucundo. Virg. lib. 2. Georg.

— sola India nigrum

Fert ebenum.

Ubi Servius, Atqui & in Ægypto nascitur: sed Indiam, omnem plagam Æthiopiarum accipimus. Vide Plin. lib. 12. cap. 4. Sunt qui per aspirationem scribant, Hebenus.

EBEO, ἄπογκαμός. Onom. Perotti in epigr. 115. Mart. exponit, Ebeo, beatitudine privo; cujus passivum ebeor, à quo ebeat dicuntur, qui felicitate aliqua ceciderunt.

Eberodunum Alpium maritimorum, sive Ebredunum, vel Ebredunum Caturigum, Ambrun, vel Embrun. V. A. Eberodunensis, sive Ebredunensis in Gallia. ||

EBIBO, is: Bibendo evacuo. { ἔκπνω. GALL. Boire tout, ne rien laisser. ITAL. Bere il tutto. GERM. Aufstricken. HISP. Mucho bever, à hasta al cabo. ANGL. To drinck up all at ones. } Plaut. in Amph. Factum illud est, ut ego illuc vini cirneam ebibetem meri? Terent. Heaut. Quid comedent: quid ebibent? Plaut. Cure. sc. 3. a. 2. Propino magnum poculum. Ille ebibit. Ibid. sc. 2. a. 1. Amica, quæ mihi miseris amanti ebibit sanguinem. Ovid. 3. Fast.

Invenies illuc, qui Nestoris ebibat annos.

Per translationem Ebibere, ponitur pro Consumere. Plaut. Amph. Non ego cum vino sialul ebibi imperium tuum.

EBLANDIOR, iris, Blanditiis aliquid extorqueo, impetro. { εἰς αἴσθομεγ. GALL. Avoir par belles paroles, impetrer par douceur. ITAL. Togliere per lusinghe. GERM. Etwas mit schmeicheln von einem bringen/einem etwas mit glatten worten abschwezen. HISP. Mucho halagar à guitar por halagos. ANGL. To get a thing by flattery. } Liv. lib. 7. bell. Pun. Neque enim omnia emebat, aut eblandiebatur, sed vim etiam flagitiis adhibebat.

EBLANDITUS, a, um: participium. { ANGL. Gotten by faire wordes. } Unde Eblanita suffragia dicuntur, quæ precibus & blanditiis impenetrantur, apud Cic. pro Cn. Plancio. ¶ Eblanitæ preces, Blandis precibus impetrata testimonia. Plin. in Paneg. Volo ego, qui provinciam rexerit, non tantum codicillos amicorum, nec urbana coniuratione eblanitas preces, sed decreta coloniarum, decreta civitatum allegat. Gell. cap. 13. lib. 11. Eblanita oratio.

Eboracum, ἔβραξ, Ptolemæo, Britannæ civitas est, quam illi sua lingua vocant Iork.

Ebōrēus, vide Ebur.

Ebosus, vide Ebusus.

EBREDUNUM, castrum in finibus Helvetiorum, vulgo Iverdun, in provincia Lugdunensi quinta. ||

EBRIÀ, æ, vas vinarium est, inquit Sosipater, atque inde Ebrius, & Ebriosus dicitur, sicut à negotio, negotiosus. Scribit autem ille per aspirationem, quam consuetudo repudiavit.

EBRIUS, a, um: ab Ebria, vase vinario: vel quasi è brià, quæ vox itidem notat vas vinarium. Qui nimio potu mente alienatus est, tumulatus, vinolentus, vino languidus, vino obrutus. { יְהָדָה schichchör. μιδλα, μιδλάκη, μιδλָה. GALL. Yvre, enyvré. ITAL. Ebrio, ebriaco. GERM. Trunken/voll weins. HISP. Embriago, borracho. ANGL. Cuppe shotte, drunken. } Plaut. Amph. Homo hic ebrius est, ut opinor. De eo id dicitur, qui mera monstra narrat. Hujus antitheton est Sobrius, quasi sine ebrietate. Cic. Papyrio Pato, lib. 9. Habuisti enim in tua potestate ex quo vel ex sobrio, vel certè ex ebrio scire posses. Unde Non sobrius, pro ebrio sumitur. Martial.

— & non sobria verba subnotasti.

Interdum ebrius ponitur pro pleno & abundanti. Plaut. Facite nrhi cœna ut ebria sit, id est, abundans, & opiparè parata. Ubi obdormivit ebrius. Idem Cure. sc. 1. a. 3. Cum corona ebrium Pseudolum. Idem Pseud. sc. 2. a. 5. (bis.) Unde homo ebrius? Idem Moſt. sc. 4. a. 1. Ebrio amanti quidvis impunè licet. Idem Aul. sc. 6. a. 4. Insana, aut ebria hæc mulier. Idem Men. sc. 4. a. 2. Pater me offendit miserum adveniens ebrium. Idem Moſt. sc. 1. a. 2. ¶ Ebrialana concha sanguine. Martial. Epigr. 154. lib. 14. ¶ Ebrius translatè, ut ebrios ocellos, nempe amore, dixit Catullus.

EBRÖLÜS, diminutivum ab Ebrius. { יְהָדָה. GALL. Yvrongnet. ITAL. Al quanto imbracio. GERM. Simlich trunken. HISP. Un poco embriago. ANGL. A little drunken. } Plaut. Cure. sc. 3. a. 2. Tristes atque ebriosi incedunt.

EBRÖSÜS, qui sape ebrius. { יְהָדָה schichchör. ειδόφανξ. GALL. Yurongne, sujet au vin. ITAL. Che spesso è briaco. GERM. Ein trunken bolz/ ein voller zapff. HISP. Borracho, que à menudo se embriaga. ANGL. Much given to drunkenesse. } Cicer. de Fato, Hunc scribunt ipsius familiares & ebriosum, & mulietosum fuisse. Plin. lib. 30. cap. 14.

Ebriosis ova noctuæ per triduum data in vino, tedium ejus addunt. A quo ebriositas, propensio in ebrietatem, ειδόφανξ. Cic. 4. Tusc. Ut inter ebrietatem, & ebriositatem interest: aliudque est esse amatorem, aliud amantem. ¶ Hujus contrarium est Sobriosus, sobrietatis affectator, quo usus est Cyprian. ¶ Inter ebrium & ebriosum hoc interest, quod ebrius actum præsentem designet: ebriosus habitum & proclivitatem. Potest enim quis esse ebrius, qui naturâ tamen & consuetudine ab hoc vitio maximè abhorreat: & contraria ebriosus quis esse potest etiam tum, quem vini nihil gustaverit. Vide Senec. epist. 84.

EBRIEAS, quam Cato dicebat nihil aliud esse, quam insaniam voluntariam. { יְהָדָה schichcharón. מִגְנָה. GALL. Enyvrement, yvresse. ITAL. Ebrietà. GERM. Trunkenheit. HISP. Embriaguez. ANGL. Surfetting drunkenesse. } Plin. lib. 3. cap. 14. Ebrietatem arct pecudum assus pulmo præsumptus. Ovid. 12. Metam.

— & ebrietas geminata libidine regnat.

EBRIELOAS: Ebrium facio. { μεθων. GALL. Enyurer. ITAL. Fare ebrio, imbriacare. GERM. Trunken machen. HISP. Embriagar à otro. ANGL. To mak drunken, } Laber. Ebriulati mentem hilarem accipiunt. Novius.

EBRIACUS, a, um: antiquis, teste Nonio, in usu erat pro ebrio, vel inebriato. { יְהָדָה schichchir, חַכְמָה hischchir. מִגְנָה, מִגְנָה. } Plaut. in Aulul. Homo ebriacus somno fanati soler. Ita enim legit Nonius. Alii tamen ibi Ebrius legendum contendunt, ut sit à verbo Ebrio, cuius compositum est Inebrio.

EBRIARE, μεθων. Macrob. comment. lib. 1. cap. 12. Antequam materialis influxio in corpus venientes animos ebriaret.

EBROE, ἔβραι, urbs in Cananæ Judææ. Gentile Ebromus. Steph.

EBROICENSIS civitas, E. in Normannia, sub A. Rothomagensi, vulgo Eureux.

Ebora, Ebora, V. A. & Academia Lusitanæ.

Eboracum, Norœ. V. A. Angliæ. ||

Ebôn, ἔβραι, mons Palæstinorum, haud longè à Gaza Syriæ civitate.

Ebrus, vide Hebræus.

Ebucum dicimus, qui illam sentit animi tarditatem & stuporem, qui hallucinantibus plerunque usu venit, autoritate Festi Pomp.

EBUDÈS, insulæ sunt quinque numero in Oceano Britannico, angusto freto divisiæ, quarum incola (ut scribit Solinus) lacte solum & pisibus vitam agunt. A Plinio Habudes dicuntur: à Stephano μεθαδα, diphthongo non aspirata.

EBULLIO, is: Effervesco, & inter belliendum effundor, sicut aqua quæ in aheno fervet. { יְהָדָה rittach. ευφυτώσυγη, ψερζίω. GALL. Bonillir & verfer debors. ITAL. Bollire. GERM. Aufstroßen/von sieden stroßen. }

HISP. Bullir mucho, à bervir. ANGL. To bubble up. } Per metaphoram accipitur pro jactabundè aliquid ostento. Cicer. 3. de fin. Dixit Epicurus, semper beatum esse sapientem: quod quidem solet ebullire nonnunquam (id est, vi veritatis incitatus dicere.) Idem 5. Tusc. Qui si virtutes ebullire volent & sapientias, nihil aliud dicent, nisi eam viam, qua efficiantur hæc voluptates, quas supra dixi. Id est, cum ostentatione & pompa afflire, & quasi pleno ore detonare, vel crepare. ¶ Hinc verbale, Ebullitio, id est, fervor, ιαλίσις.

EBULLOAS: vide in simplici Bullo.

Ebulum, sive Ebulus, frutex est sambuco foliis & baccis simillimus, in tantam tamen altitudinem non assurgens, neque arborescens. Græci Chamæacten appellant, quasi pumilam sambucum. { ζεμπράν. GALL. Hiebles. ITAL. Ebulo. GERM. Attichstaub. HISP. Yezgo, yerva nota. ANGL. Daynewort or malvoort. } Virg. in Sileno, Sanguineis ebuli baccis.

Columell. lib. 2. Sed citra experimentum multa sunt, quæ & dulcem terram, & frumentis habilem significant: ut juncus & calamus, gramen, & trifolium, ebulum, rubi, pruni sylvestres, & alia complura. Idem,

— & rutilas ebuli creat uida baccas.

EBUR, oris, Dens elephanti, quasi è barro: sic enim elephantum vocabant veteres, à barritu. { יְהָדָה schen. ιλίφας. GALL. Yvoire. ITAL. Avorio. GERM. Helfsenbein. HISP. Marfil, diente de elephante. ANGL. Ivory. } Cic. 4. Acad. Non enim est è saxo scalpus, aut ebore dolatus. ¶ Ebur, pro vasis, aut aliis rebus ex ebore dolatis. Horat. lib. 1. Ode 18.

Non ebur, neque aureum

Mea renidet in domo lacunar.

Cic. 4. Verr. Ut omne ebur ex ædibus sacris deorum, denique simularia quæ vellet, auferret. Ebur atramento candefacere, est genuina formæ cultum auferre, atque ornatum externum inducere, quo decus illud nativum obscureretur magis, quam illustretur. Proinde lena Plautian in Moſt. sc. 3. a. 1. puellæ naturali forma prædictæ, tamen cerrassam ad oblinendas malas postulant: Una, inquit, opera ebur atramento cande facere postules. Propterea quod omne lenocinium rebus naturâ pulchris, de honestamentum affert, non venustatem. Hæc Erasmus ¶ Antiquis in usu fuit nominativus ebor, à quo remansit genitivus, eboris, & adjectivum Eboreus.

EBURNÉUS, a, um, quod est ex ebro. { ιλιφάλι. GALL. D'ivoire. ITAL. D'avorio. GERM. Helfsenbein. HISP. Cosa de Marfil. ANGL. Of ivory. } Plin. lib. 36. cap. 5. Iovem fecit eburneum in Metelli æde, quæ campus petitur. ¶ Aut quod instar eboris album est: ut, Eburnea facies. Ovid. 3. Metam.

Impubesque genas, & eburnea colla, &c.

EBURNÉOLUS, diminutivum. { יְהָדָה συρְעַת. ειδευτρίας ιλιφάλιος. GALL. Moucheté, ou marqué de petits morceaux d'ivoire. ITAL. Coperchio d'avorio. GERM. Das mit helfsenbein versetzt ist. HISP. Cubierto de marfil. ANGL. Sett with little pieces of ivory. } Cicet. 3. de Orat. Quem servum sibi habuit ille ad manum, cum eburneola solitus est canere fistula.

EBURNUS, a, um: Eburneus. { ANGL. Of ivory. } Tibull.

Hanc primùm veniens plectro modulatess eburno.

Lacret. lib. 2.

Legitimeque faces, gradibusque acclivis eburnis.

Ovid. Eleg. 2. lib. 4. Trist.

Invenit

Invenietque animus, quâ currus spectet eburnos.
Idem Eleg. 1. lib. 2. Trist.

Eburnus

Tantalides.

Eburatūs, a, um, quod extrinsecus ex ebore est, quod ebore est obdutum. { εἰποντάς. GALL. Couvert ou enrichi d'ivoire. ITAL. Coperto d'avorio. GERM. Mu hessenbein überzogen. HISP. Cosa cubierta de marfil. ANGL. Covered or made trimme with ivory. } Plaut. in Persa. Lectos eburatos. Idem in Aulul. Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas nihil motor.

Ebōrēs, a, um, ab antiquo nominativo ebōr fit: sicut à marmor, moreus: eburneus verò, & eburnus, ab, Ebūr. { εἰπάντως. ANGL. Made of ivory. } Significant autem hæc tria, quod est ex solido ebore. Quintil. lib. 6. Quum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata.

Ebore elephantino esse. Nam Latini & elephantum pro ebore, & elephantinum pro eborco, non raro usurpant apud Virgilium:

— sed tóque elephanto.

Ubi Servius: pro ebore posuit, Gracè dixit. Item alio loco elephantum pro ebore dixit. Sic elephantinum pro eborco, apud Martianum Capellam legas.

Ebura, ιβύη Ptolemaeo, ιβόη Stephano: oppidum est Hispaniæ Bæticæ, cuius meminit & Plin. lib. 3. cap. 1.

Eburones, ιβερῶν, populi Galliæ Belgicæ, qui per fraudem multos ex Cæsaris exercitu trucidarunt. Hodic Leodienses, à Leodio urbe, vulgo Liege. { GERM. Lütticher. }

Eburonices, populi sunt inter Celtas Aulercis, Lexoviis, & Unclis, reliquisque matitimis civitatibus vicini.

Eburum, ιβόη Prolemæo, Moravia oppidum est. Germani vocant Olsnitz in Merthen.

Ebusus, ιβόη, vulgo Ibizza. Insula est in mari Balearico, altera Pytiutarum, nullum animal noxiun gignens. Plin. lib. 3. cap. 5. Ebusi terra fugat serpentes, Colubrariæ parit: ideo infesta omnibus, nisi Ebusitanam terram inferentibus. Habet hæc insula oppidum ejusdem nominis, à Phœnicibus (ut putatur) conditum, aut certè à Pœnisi, qui à Phœnicibus originem duxerunt. Silius lib. 3.

Iamque Ebūsus Phœnissa movet, jamque Artabuſus armas.

Ebuvit, exbuvit. Vide Eur. ||

EC

Ec, in compositione aliquando occurrat: ut eccubi, ecquis, ecquando. Videtur esse ab &, sicut ex quidquid facimus quicquid, ut ecquis, sit & quis. Sic sanè potius videtur quam ab en, quod tamen etiam in ec transit, ut ecce. ||

Ecameda, sive potius Hecameda, ιγανδή, apud Homerum lib. 11. Iliad. nomen est filia Arisnoi, quæ capta Tenedo, Nestori in prædam cecidit.

Ecastor, adverbium jurandi. Donatus, Ecastor, per Castorem & Pollucem, ornativa sunt jurandi, apta feminis. Plaut. in Amph. Ecastor te experior quanti facias uxorem tuam. Ecastor tu quidem inscita es. Idem Moſtell. sc. 3. a. 1. Ecastor vapulabis. Ibidem, Jampridem Ecastor frigida non lavi magis libenter. Ibidem, Ecastor erras. Ibid. sc. 1. a. 5. Ecastor equidem. Idem Men. sc. 2. a. 4. Ecastor haud invita fecero. Ibid. sc. 4. a. 2. Ecastor beneficiis tuis me florentem facis. Ibidem, Ecastor licet. Ibid. sc. 3. a. 1. Idem Milit. sc. 4. a. 2. & sc. 5. a. 2. Terent. in Andria, Perecastor seitus puer natus est Pamphilio. Sunt qui per diphthongum malint scribere, quod ex æde compositum putent, ut Ecastor dictum sit quasi per ædem Castoris. Hoc juramento (ut author est Macrobius) viri non utebantur, quemadmodum nec mulieres per Herculem jutabant: ædepol autem juramentum erat, tam mulieribus, quam viris commune.

Ecbasis, ικβάσις, figura est quæ Latinè dici potest excursus, πορεία τὸ έκβασις, quod est egredi, sive expatriari. Exemplum est apud Virg. lib. 1. Georg. quum describit tempestatem à rusticis prævendam.

Ecbatana, ικβάτα, numero plurali, metropolis est maioris Mediae, à Seleuco condita, teste Plin. lib. 6. cap. 14. Strab. lib. 11. Media in duas partes divisa, quatum alteram majorem vocant, cuius metropolis fuit Ecbatana civitas, & Medici imperii caput: nunc etiam Parthi Regia utuntur. Hujus urbis meminit & Cic. in Oratione pro Lege Manilia, de Mithridate loquens. Usque in Hispaniam (inquit) Ecbatanis legatos misit ad eos duces quibuscum tum bellum gereramus. Fuit & in ora Syriæ ejusdem nominis oppidum in monte situm, postea Carmelum appellatum: cuius meminit Plin. lib. 5. cap. 19.

Echolas, adis, ficus faciens abortum: ab ικβάτα, ejicio. ||

Ecbolia, orum, ικβόλια, sive Ecbolinæ, arum, sive Ecbolades, medicamenta sunt quibus Medici utuntur abigendis infantibus in utero enectis, quæ & phthoria dicuntur. Latinè dici possunt ejectoria, vel ejectories medicinae. Ex Budæo.

Ecca, est pronomen demonstrativum, fœm. generis. Plaut. Men. sc. 2. a. 1. in fine, Hercole ab se ecca exit: id est, Certè ecce ea à domo sua exit. Vide Eccum infra.

Ecce, adverbium, rem improvisam subitamque demonstrans. { הַנְּהֵנֶה. GALL. Voicy, voila, soudainement, tout soudain. ITAL. Ecco. GERM. Sihe/schare zu/nim war. HISP. Mira ò atá, he os aquí. ANGL. Behold. Virg. 2. Eneid.

Ecce autem gemini à Tenedo, tranquilla per alta, &c.

Ovid. Eleg. 1. lib. 2. Trist.

Ecce canit formæ alias, jactusque pilarum.

Idem initio Eleg. 13. lib. 3. Trist.

Ecce natalis adeſt.

Idem 13. Metam.

Ecce Iouis monitu deceptus imagine somni

Rex iubet incæpi curam dimittere belli.

Plaut. Moſt. sc. Habeo. Sed ecce quæ ille ait. Idem Men. sc. 5. a. 5. Egomet hæc te vidi facere: Egomet ecce te arguo. Ibid. sc. 2. a. 5. Ecce Apollo mihi imperat, ut ei oculos exuram. Ecce Apollo

me jubes. Ibid. Ecce autem litigium. Ibid. Ecce omittio. Idem Milit. sc. 5. a. 2. Audin' etiam. L. Ecce (id est, audio, adsum.) Idem Asin. sc. 1. a. 1. Ecce autem bibit arcus: pluet. Idem Cure. sc. 2. a. 1. Ecce me tibi sisto (verba vadimonii.) Scribit Asconius etiam hoc proprium esse Ciceronis, ut in rebus improvisis hac particula utatur: ut in Oratione pro Cluentio, Ecce tibi ejusmodi sortitio, ut in primis de Bulbo esset judicandum. Idem 6. Verr. Ecce tibi non turbaba, atque rixa. Idem in Pisonem, Ecce tibi alter effusa, &c. ¶ Non nunquam etiam in rebus latè斯 hac particula utimur. Ovid. 3. Amoris

Ecce Corinna venit.

Modò nominativum, modò accusativum assumit. Cicer. ad Attic. lib. 1. Ecce aliae delicia Equitum. Idem 2. definib. Ecce miserum hominem, si dolor summum malum est.

Eccistam, pro ecce istam. Plaut. Cure. sc. 2. a. 5. Certè eccistam video. Eccillam. Plaut. Aulul. sc. 5. att. 4. Eccillam filiam domi: id est, ecce illam.

Eccubis, ιπτα, per duplex ee, & componitur ex ecce; & ubi, idemque significat quod Nuncubi.

Eccum, eccam, eccos, eccas, adverbia sunt demonstrandi, quæ nonnulli voluerunt idem significare, quod Ecce eum, eam, eos, eas: quos Laurentius reprehendit eo argumento, quod non semel apud Comicos legamus subiectum accusativum, ut Eccum me, Eccum Parmenon: ubi certè non possumus interpretari, Ecce eum me: aut, Ecce eum Parmenonem. Melius itaque Vallam sequemur, qui harum distinctionum significationem per adverbia interpretatur: ut Eccum, sit idem quod Ecce hic, intellige virum de quo agebamus. Eccam, ecce hic, subintellige fæminam de qua agebamus. Ellum, ecce illuc, scilicet virum, resolvendo per adverbia, non per nomina. Ex his itaque non obscurum est, quid discriminis sit inter Eccum, & Ellum: quod scilicet Eccum demonstrat hominem, qui non procul abest à loco in quo sumus: ut Eccum Parmenonem, hoc est, Ecce hic Parmenonem: contrà Ellum, eum qui longius abest. Plaut. Men. sc. 4. a. 5. Eccum ipsum hominem. Sed eccum video. Ibid. sc. 1. a. 5. Ecce quem quærebam. Idem Cure. sc. 2. a. 5. Eccam, quam coronam habuit. Idem Men. sc. 1. a. 4. Eccum hunc in vidulo salvum fero. Ibid. sc. 2. a. 2. Eccum affinem meum. Idem Aul. sc. 5. a. 3. Sed eccum Menachnum video. Idem Men. sc. 2. a. 1. Nam pater meus intus nam est. Idem Amph. prol. Atque Eccum incedit. Item Men. sc. 2. a. 5. Eccum qui me cettam faciat. Idem Pseud. sc. 2. a. 4. Sed eccum video verbere statuam. Ibid. sc. 1. a. 4. Herus eccum recipit. Ibid. sc. 4. a. 2. Venit eccum Callidorus. Ibid. sc. 3. a. 2. Eccam scis filium tibicinam amare? Ibid. sc. 5. a. 1. Philocomias eccam domi. Idem Mil. sc. 3. a. 2. & sc. 6. a. 2. Eccum lenonem incedit thesaurum meum. Idem Cure. sc. 2. a. 5. ¶ Ab se ecca exit. Idem Men. sc. 2. a. 1. Ubi ea est? Eccam, in cera cubat. Idem Pf. sc. 1. a. 1. ¶ Tres eccos numos habes? Ibid. sc. 4. a. 1. Eccos prædæ participes petunt. Idem Moſt. sc. 3. a. 1. Nam eccum hic adolescentem captivum habeo. Idem Capt. sc. 2. a. 1. Atque eccam illecebra exit. Idem Asin. sc. 2. a. 1. Ubi est? Eccum illum. Idem Amph. sc. 3. a. 4. Eccam eam ipsam ante ædes video. Idem Men. sc. 2. a. 5. Et. Ubi tu es? A. Eccum (id est, ecce me.) Idem Mil. sc. 1. a. 1. Hemtibi pateram? Eccam. Idem Amph. sc. 3. a. 1.

Ecce re, pro omnia & summatim tibi narravi. Plaut. Men. sc. ult. a. 2. Prandi in navi, inde egressus hue, te conveni. Ecce re, &c. Ita legit & exposuit Passerat. Alii ecce, id est, per ædem Cereris. Alii ecce, uno verbo. Alii ecce rem.

Eccē, jusjurandum, ac si jures per Cererem, η τὸ δέκατον: ut, Ecastor, Edepol. Alii Eccere accipiunt pro Ecce. Plaut. in Amph. Ecce: jam tu autem facis, ut tuis nulla apud te sit fides. Idem Mil. sc. 2. a. 2. Eccere autem capite nutat.

Ecclesiæ: Cœtus, concilium, concio, congregatio. { εκκλησίας τεχνής, ικελά. GALL. Assemblée. ITAL. Adunanza. GERM. Ein versamung/ gemeine kirch. HISP. Ajuntamiento. ANGL. A congregation, or assemble. ¶ Inde fidelium omnium, qui per orbem sparsum sunt, universitas, à Christianis Ecclesia dicitur. Sic dicimus Christianum esse caput Ecclesiæ. Athenis hoc nomine vocabunt conventum civium, qui Reipub. causa conveniebant: nam quum ad spectaculum aliquod populus ex agro vocabatur, Αγκλησία propriè dicebatur. ¶ Ecclesia apud veteres Poëtas primam corripit, contra Gentiles Poëtas. Inde Paulinus lib. 2. de Martino,

Mater Ecclesia templis.

Et infra lib. 4.

— Claudebat Ecclesia plebem.

Et in Natali 4. Felicis.

Cum pia sacrilego quateretur Ecclesia bello.

Male enim corrigunt quateretur regula bello. Tertull. lib. 3. adversus Marcionem,

Ecce caput Christum, sunt eius Ecclesia membra.

Ecclesiarcha, ικκλησιάρχης, Ecclesia præfector: ab ἡγεμών, præfatus.

Ecclesiastēs. { εκκλησιαῖς τεχνής. GALL. Preschevū, Presdicateur. ITAL. Predicatore. GERM. Ein prediger so einer groen vorstech. HISP. Predicador. ANGL. A preacher. } Concianor: δαστορεῖς εκκλησιαῖς, quod est concionem habere, vel ad concionem convocare.

Ecclesiasticus, a, um, pertinens ad Ecclesiasten. ||

Eccum: vide Ecce.

Eccyclema, machina lignea in theatro, quæ circumacta ostendebatur spectatoribus quicquid in scena secreti ageretur. Poll.

Ecdicūs. { εκδίκης. GALL. Advocat, Defendeur, Procureur de ville. ITAL. Defensore, venditatore. GERM. Ein schirmer. HISP. Defensor, vengador. ANGL. An advocate in defending à commone cause of societie. } Latinè defensor, vel vindicta. Erant autem Ecdici, teste Budæo, in municipiis, qui Romæ Tribuni plebis causam adversus injuriam optimatum tuebantur. Cicero ad Thermum lib. 13. Epist. 1. Dixerat mihi Euthydemus, quum Ephesi esset, se curaturum ut Ecdici Milesi Romam mitterentur: id factum non est, Legatos audio missos esse: sed malo Ecdicos, ut aliquid confici-

Mm 5 posse.

possit. Quare però à te, ut eos & Alabandenses jubeas Ecdicos Romanam mittere.

Echēmōn, ιχέων, priami filius, à Diomede occisus. Homer. Iliad. 5.

Echēnēus, per quatuor syllabas, ιχείνης, omnium Phœacum generosissimus, teste Homer. lib. 7. Odyss.

Echēwylia. { תְּמִימָה dumijah, טַרְפָּה chôresh. ιχευθία, ab ιχευθία. GALL. Silence. ITAL. Taciturnità, silentio. GERM. Stillschweigenheit. HISP. Obra de callar, silencio. ANGL. Sylence. } Latinè taciturnitas dicitur & auscultatio: quo nomine vocatum fuit silentium illud discipulorum Pythagoræ, teste Gell. lib. 1. cap. 9. Unde

Echemylos à Græcis dictos censet Budæus ausculatores, & censendi immunitatem habentes in Senatu, qui & ἀκεστοὶ dicuntur. Idem alio loco interpretatur echemylos, cunctatores, & sermonis homines parcissimos, qui aures duas habere se, unicam linguam in causis etiam publicis meminerint.

Echēnēis, ίδις. { ιχανίς. GALL. Un petit poisson qui, s'il s'attache contre un navire, il l'arrête & l'empêche de voguer & remuer. ITAL. vesce picciolo, che ferma la navi, avanti le quali s'attaca. GERM. Ein fisch/det ein schiff in seinem lauff aufhält / wann er sich an das selbig hencht. HISP. Pece pequeño, que detiene las naves. ANGL. A little fish that stayet a shipe under sayle. } Genus pisciculi, quem Latini Remoram appellant: utroque nomine ab re imposito. Ferunt enim hunc piscem navim, cui adhæserit, sistere, quantumvis velis & remis incitatam. Hinc echeneis dicta, προστάτης τῶν ναῶν, hoc est, à tenenda navi: ἡ δὲ τὸ ιχεῖος τῆς ναῆς, id est, ab eo quod navi adhæreat. Plin. lib. 9. Est parvus admodum piscis, assuetus petris, echeneis appellatus: hoc catinis adhærente, naves tardius ire creduntur, inde nomine imposito. Ob quam rem à Græcis ιχανίς dicitur, à nostris Remora, à remorando nominatur. Lucret. lib. 6.

Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In mediis echeneis aquis.

Ferunt hunc piscem fluxus in gravidatum utero sistere, partusque ad puerperium continere.

Echetria, ιχετία, urbs Italiae. Steph.

Echerla, ιχετά, urbs Siciliæ. Steph.

Echetera, ιχετά, urbs Italiz. Steph.

Echidna. { ιχενεπεβήτη. ιχεδνα. ANGL. A viper, a kind or serpent. } Idem serpens esse creditur, qui à Latinis Vipera dicitur, quod & ipsum etymologia videtur indicare. Apparet enim echidnam dictam, προστάτης τῶν ιχετών τῶν οὐρανῶν, quod scilicet ad interitum usque foetum intra se contineat, donec pullis nimiam moram pertaxis, ero lo matris utero, parenteque necata, erumpant. ¶ Poëtis accipitur pro quovis serpente, & præcipue pro hydra illa Lernæa, quæ ab Hercule interfecta est. Ovid. lib. 3. Fast.

Sanguine Centauri Lernæa sanguis echidnae

Mistus ad auxilium tempora nulla dabat.

Vide in dictione Exectra.

Echinades, ιχενάδες. Exiguæ sunt insulæ, Acarnanæ adjacentes, ex adverso ostii Acheloi fluminis, natæ ex arena & limo, impetu Acheloi convecto, teste Plin. lib. 2. cap. 85. De Echinadibus pulchre Thucyd. lib. 2. ubi de Acheloo. Ovid. lib. Metam. 8. involucro fabula verum occuluit, & ex Naiadibus factas insulas tradidit, quoniam hæ terræ fluvio adgestæ feruntur. Stat. lib. 2. Theb.

Turbidus objetas Athelous Echinades exit.

Lucanus.

— Crassis obliimat Echinades undis.

Seneca. in Troade, declinat Echīna, ιχείνη.

Quolibet vento faciles Echīna.

Lege Dulichium in Stephan. Qui etiam has insulas circa Aetolianam esse scribit: & hoc nomen fortitas ab asperitate, vel Echinorum copia, vel Echino vate.

Echineis, insula in mari Aegeo. Cic. in Arato,

— excelsis errans in collibus amens;

Quos tenet Aegaeo desixa in gurgite Echneis.

Echinon, Thraciæ urbs est ad Pegaseum sinum. Pompon. Mela lib. 2. in Thraciæ descriptione.

Echinométræ, ιχενομέτραι, Echinorum genus, quorum spinæ longissimæ, calices minimi, nec omnibus iidem rufus & vitieus color. Plin. lib. 9. cap. 11.

Echinus, ιχείνη, ιχείνη Stephano. Oppidum est Acarnanæ, non procul ob ostio Acheloi, quod Echinadibus insulis nomen fecisse putatur. Meminit hujus oppidi Plin. lib. 4. cap. 1. ¶ Est item Echinus, oppidum in ora Phthiotidis ad Maliacum sinum, circa quod Sperchius in mare influit. De hoc Cicero in Arato,

Dicitur excelsis errans in collibus amens,

Quos tenet Aegaeo desixa in gurgite Echneus.

Recensetur etiam à Ptolemy lib. 3. cap. 13.

Echinus, ιχείνη, ab ιχείνη. { GALL. La première couverture piquante, dedans laquelle croissent les châtaignes. ITAL. La coperta spinosa delle castagne. GERM. Die strähige haut oder rind/in welcher die kesten wachsen. HISP. Erizo de la castaña. ANGL. The outward husk or covering of a chestnut. } Tegmen spinosum quo servantur castaneæ. Unde castaneæ echinatæ dicuntur. Plin. lib. 15. cap. 23. Nuces vocamus & castaneas, quanquam accommodiores glandium generi; armatum his echinato cortice vallum est. ¶ Ab hujus tegminis similitudine dictus est echinus piscis, quem Plin. lib. 9. cap. 31. scribit esse ex cancerorum genere, cui spina pro pedibus sunt, cui ingredi, est in orbem volvi: capitur ferè inter saxa, ubi se continent ne à fluctibus jactetur. Martialis lib. 13.

Iste licet digitos testudine pungat acuta,

Cortice deposito mollis echinus erit.

¶ Est & echinus apud Græcos terrestre animal, cui est apud nostros nomen hericio, sive herinaceo, aut etiam herici: æquè spinis hirtus est atque marinus echinus. { ANGL. An hedgehog, an urching. } de quo Ambrosius lib. Hexaem. Echinus iste terrenus, quem vulgo

hericum vocant, si quid insidiarum præsenserit, spinis suis clauditur, atque in sua arma se colligit. ¶ Præterea echinus, genus vasis ænei est, in quo calices lavabantur, quemalii ampullam dicunt esse vitream. Horatius lib. 1. Serm. satyr. 6.

